Urbanus eps servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam.

In supreme dignitatis aplice specula superni dispensatione consilii licet immeriti constituti ad universas fidelium regiones nre vigilantie creditas earum que profectus et commoda tanquam universalis gregis dominici pastor commisse nobis speculationis aciem quantum nobis ex alto permittitur extendentes fidelibus ipsis ad querendum litterarum studia et sciencie margaritam cuius dum invenitur gloriosa est possessio et fructus suavissimi per quam pelluntur ignorantie nubila ac errorum eliminata caligine mortalium curiosa solertia suos actus et opera disponit et ordinat in lumine veritatis per quam etiam divini nominis fideique catholice cultus protenditur iustitia colitur tam publica quam privata res geritur utiliter omnisque prosperitas humane conditionis augetur. Ob hoc igitur magno nec immerito desiderio ducimur ut litterarum studia in quibus preciosa ipsius sciencie margarita reperitur laudandi suscipiant incrementa frequentius invalescant presertim in locis illis que ad multiplicanda doctrine semina et germina salutaria producenda apta et idonea dinoscuntur. Nos premissa attendentes et etiam fidei puritatem et devotionem eximiam quam dilecti filii.. Consules Scabini Cives et Commune Civitatis Colonien devoti nri et ecclie Roman filii ab olim ad ipsam ecclesiam et nos habuisse dinoscuntur illamque successione temporum de bono in melius studuerunt augmentare dignum ducimus et equitati consonum extimamus ut Civitas ipa quam divina gratia multarum prerogativa bonitatum et fecunditate virtutum gratiose dotavit scientiarum etiam ornetur muneribus et etiam amplietur ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos virtutum redimitos ornatibus ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos sitque ibi scientiarum fons irriguus de cuius plenitudine hauriant universi litterarum cupientes imbui documentis. Premissis igitur diligenti examinatione pensatis non solum ad ipsius Civitatis sed etiam regionum circumadiacentium incolarum commodum et profectum paternis affectibus anhelantes dictorum etiam Consulum Scabinorum Civium et Communis gratiam nram suppliciter implorantium in hac parte devotis supplicationibus favorabiliter annuentes ad laudem divini nominis et fidei propagationem orthodoxe auctoritate aplica statuimus et etiam ordinamus ut in dicta Civitate Colonien sit decetero studium generale ad instar studii Parisien illudque perpetuis futuris temporibus in ea vigeat tam in Theologie et iuris canonici quam alia qualibet licita facultate quodque legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis libertatibus et immunitatibus concessis magistris in Theologia ac doctoribus legentibus et studentibus commorantibus in dicto Parisien studio generali gaudeant. Insuper Civitatem et studium prefata ob profectus publicos quos exinde provenire speramus amplioribus honoribus prosequi intendentes auctoritate ordinamus eadem ut siqui in eodem studio Colonien fuerit qui processu temporis bravium meruerint in illa facultate in qua studuerint obtinere sibique docendi licentiam ut alios erudire valeant ac magisterii seu doctoratus honorem petierint elargiri per magistrum seu magistros doctorem vel doctores illius facultatis in qua examinatio fuerit facienda Preposito ecclie Colonien qui protempore fuerit vel eius sufficienti et ydoneo quem ad hoc idem Prepositus duxerit deputandum vicario Prepositura vero ipsius ecclie vacante illi qui ad hoc per dilectos filios Capitulum ipsius ecclie deputatus extiterit presententur idemque Prepositus vel vicarius aut deputatus ut prefertur magistris et doctoribus in eadem facultate actu inibi regentibus convocatis illos sic presentatos in hiis que circa promovendos ad magisterii seu doctoratus honorem requiruntur iuxta modum et consuetudinem qui super talibus in generalibus studiis observantur observatis examinare studeat diligenter eisque si ad hoc sufficientes et ydonei reperti fuerint huiusmodi licentiam tribuat et magisterii seu doctoratus honorem conferat et etiam largiatur. Illi vero qui in eodem studio dicte Civitatis examinati et approbati fuerint ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint ut est dictum extunc absque examine et approbatione alia legendi et docendi tam in Civitate predicta quam in singulis aliis generalibus studiis in quibus voluerint legere et docere statutis et consuetudinibus quibuscumque contrariis aplica vel quacumque firmitate alia roboratis nequaquam obstantibus plenam et liberam habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nri statuti et ordinationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Aplorum eius se noverit incursurum. Dat Perusii xii Kl Junii Pontificatus nri Anno Undecimo.

T. Fabri